

Ad Gellium.

Quae apud Gellium XIX 1, 21 sic leguntur: 'adnotandaque esse idcirco existimavimus, ut rebus forte id genus, quibus dixi, obortis pavescere sensim et quasi albescere non insipientis esse hominis neque ignavi putemus et in eo tamen brevi motu naturali magis infirmitati cedamus, quam *quod* esse ea, qualia visa sunt, censeamus', ea, si quid video, non recte coeunt. Nam *quod* particula causalis aut prorsus abundat ac delenda videtur, aut alteram sibi oppositam causam postulat, quam sive per totum

aliquod enuntiatum, veluti 'magis *quod* sapientis quoque animum paulisper moveri et contrahi et pallescere necessum est' (cf. § 17), sive per ablativum causalem 'naturali magis infirmitate' adiungere licebat. *Cedendi* enim verbum etiam sine casu tertio et dici et intelligi potest, sicut XII 5, 9. Itaque aut 'infirmitate' legendum aut *quod* particula delenda videtur¹. Illud tamen praestare existimo propterea quod aliter, ni fallor, si *censeamus* aequae ac *cedamus* a coniunctione *ut* suspenditur, 'qualia visa *sint*' simul mutandum erit. — Praeterea autem pro eo quod est 'putemus *et*' haud scio an litterula *s* bis posita 'putemus *set*' praefendum sit, ut tota sententia iam sic procedat: 'ut . . . putemus, *sed* in eo tamen brevi motu naturali magis infirmitate cedamus, quam quod esse ea, qualia visa sunt, censeamus'. Hoc enim magnopere cavendum est, quoniam insipientis est τὸ προσ-επιδοῦναι.

In eiusdem capituli § 2 haec habes: 'Nox deinde, *quae* diem primum secuta est, *in ea* fere tota ventus a latere saeviens navem undis compleverat.' Audacior sane talis anacoluthia, quam *quae* ferenda sit, nec repperi exemplum quod plane comparari possit. Nam quod apud Ciceronem Tusc. III 8, 16 legitur: 'omnis enim abstinentia, omnis innocentia — *quae* apud Graecos usitatum nomen nullum habet, sed habere potest ἀβλᾶβειαν; nam est innocentia adfectio talis animi, *quae* noceat nemini — reliquas etiam virtutes frugalitas continet', id orationis saltem interruptae excusationem habet. Quod autem apud Terentium Hecyr. III 1, 6 invenimus: 'Nam *nos omnes*, quibus est alicunde aliquis obiectus labos, | omne quod est interea tempus, priusquam id rescitum est, *lucro est*', ἀνακόλουθον esse videtur non scriptoris negligentis, sed poetae comici artificiose imitantis id, quod in magna animi perturbatione fieri solet, ut homines, si aliud animo occurrit, ab incepta oratione aberrant. cf. Hoogeven. ad Viger. pag. 41. Apud Gellium autem, cum insolentis anacoluthiae nullam eiusmodi causam dispicere possim, haud dubito, quin deleta *quae* relativo legendum sit: 'Nox deinde diem primum secuta est; in ea (an *qua*?) fere tota — — compleverat'.

In eis, *quae* secuntur (§ 3), ut hoc obiter moneam, vitiosa Hertzii interpunctio sic corrigenda est: 'dies quidem tandem inluxit, sed nihil de periculo neque de saevitia venti remissum. Quin turbines etiam — — — videbantur'. Neque paragraphi 19 et 20 plena interpunctio dirimendae erant, quoniam '*sapiens autem* — — — οὐ συγκρατίζεται' a verbis 'differre dicunt, *quod*' suspendenda sunt.

¹ Haec et constitueram et scripseram, cum ampliore Hertzii editione inspecta iam in cod. acad. Bat. Voss. F 7, optimae notae libro, 'infirmitate' exhiberi edoctus sum.